



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas
Semper Adest**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 5. SS. Scripturæ intempestiuis appellationibus obnunciantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)

cæco sui amore affectus; quæ tenebras of-
fundente, non possunt videre veritatem;
sed vel latentem gloriam, vel tacitam vin-
dictam sectantur. Habent illi multa alia
innocentiæ suæ præsidia; habent amicos;
habent magistratus; habent patrocinium
veritatis, quæ semper tandem erumpit in
lucem: &, si hæc defint, habent asylum
orationis; habent auxilia Diuorum; ha-
bent, vno verbo, Deum; qui ait: *Mihi vin-*
dicta, & ego retribuam. Et iterum: Quia in-
dicabit Dominus populum suum. Illi igitur
relinquendum est officium iudicandi, diésq;
illa expectanda, non præscribenda; formi-
danda, non desideranda.

Hebr. 10.
30.
Deut. 32.
35.

§. V.

*SS. Scripturae intempestiuus appellationibus
obnunciantes.*

Qua de caussa Amos eiusmodi malas
appellationes interdiceret videtur, cum ait:
Amos, 5. *Va desiderantibus diem Domini: ad quid eam*
18. *vobis? dies Domini ista, tenebra & non lux.*
Dies Domini, consueta Scripturæ phrasi,
diem iudicij seu vniuersalis & extremi, seu
singularis, quod in morte vniuscuiusq; per-
agitur, designat. Eam itaq; diem, in vin-
dictam inimicorum desiderantibus, *va in-*
tonat

sonat Propheta, qui & addit: *dies Domini ista tenebrae & non lux*, quia obscurum minimeque clarum est, quando futura sit; qua enim hora non putabitur *filius hominis veni-*

Luc. 12.

et; qui non voluit, esse nostrum, *nosse tempora & momenta, quae Pater posuit in sua po-*

40.

Act. 1. 8.

testate. Temerarium igitur est, sine peculiari instinctu, aut graui causa, diem certum velle nosse, &, quod plus est, alteri velle dicere ac designare, quo sit iudicandus. In Iudicis, non in actoris arbitrio tempus iudicandi est relinquendum. Quod se fecisse Ieremias gloriatur illis verbis: *Ecce, ipsi di-*

Ierem. 17.

eunt ad me: Ubi est verbum Domini? veniat.


15.

Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideravi, tu scis. Quod egressum est de labijs meis, rectum in conspectu tuo fuit. Gaudebat scilicet in sinu suo, & gratulabatur conscientiae suae Ieremias, iniquissimo regis Sedeciae odio vinculis & morti addictus, quod tyranno diem, apud diui-

num tribunal, non dixerit, sed eum

libero summi Iudicis arbitrio re-

liquerit iudicandum.



L 3

§. VI.